

**www.e-rara.ch**

**Feyerlichkeit des in dem fürstlichen Stift St.Blasien auf dem  
Schwarzwald eingeweihten neuen Tempels**

**Mayer, Peter**

**Gedruckt, in dem Hochfürstlichen Stift St. Gallen, im Jahre 1784**

**Stiftsbibliothek St. Gallen**

Shelf Mark: SGST 12783

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-97822>

Antwort: Sr. hochfürstlich bischöflichen Gnaden auf obige Anrede.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.


---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]


**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



TIA tot pretiosissima Ejusdem pignora recens in eam illata debito honore adservamus. Benedic etiam pro TUA auctoritate per Sanctissimi Spiritus gratiam, qui TE posuit regere Ecclesiam Dei, cunctos Fratres Blasianos, Filios Tuos devotissimos, in illa jugiter Deum collaudantes, ut, qui monasticæ professionis observantia, sedulo virtutum studio, & impigra pro ovibus sibi a TE concreditæ sollicitudine per tot jam sæcula ceu Lapides quidam vivi veteri Domui superstructi steterè securi, iisdem firmissimis monasticæ disciplinæ fulcris, & in nova hac Domo, deinceps etiam immoti persistant. Benedic denique Populo TUO, benedic Ovibus TUIS, Pastor optime! atque sacratas manus TUAS super omnem Congregationem nostram extende.


Pro summo isthoc beneficii genere immortales TIBI PONTIFEX MAGNE! cum seris posteris referemus grates, nec deerimus unquam, quin continuis in nova hac Domo ad Deum precibus vitam TIBI, Viresque, ad exantlandos pro communi amplissimæ TUÆ dicecesis emolumento tot immensos labores necessarias, sumus exoraturi. DIXI.



Antwort:

Sr. hochfürstlich bischöflichen Gnaden  
auf obige Anrede.

Quemadmodum nihil magis mihi cordi est, quam ut ea, quæ muneris mei, & officii episcopalis ratio a me exposcit, hilari, promptoque animo exequar, ac obligationi meæ, quantum in me est, omni ex parte satisfacere satagam; Ita Dilectionis suæ, Domini Principis & Abbatis tui, perhumanæ & amicissimæ invitationi eo lubentius & tanto majori cum gaudio ac animi consolatione obtemperandum duxi, quo acceptius isthac functione, jucundiusque mihi nihil accidere potuit; tum quod mira divinæ providentiæ ordinatione ita dispositum fuit, ut mihi jam obtingat ædificio huic ultimam quasi manum adponere, & opus istud, tam præclarum pietatis monumentum, consecratione complere, quod Dilectio sua, Dominus Princeps tuus, undeviginti ante annos a



Domino Antecessore p. m. Dilectissimo Fratre meo, cujus equidem præcellentes dilaudatasque animi dotes omni conatu imitari adlaboro, in hujus Monasterii Abbatem Solenni ritu inauguratus, laudabiliter adeo, fervoreque pro Dei gloria ac cultu ardentissimo, incepit, insigni Religionis Studio, veluti sponfam ornatam viro suo, splendidissime decoravit, ac summa cum prudentia, indefesso plurium annorum labore, permagnis tandem sumtibus felicissime consummavit: Tum quod mihi simul copia facta sit, cum Dilectione sua, Domino Principe & Abbate tuo, antiquam & sineeram illam amicitiam non tam renovandi, quam arctius constringendi, eidemque singularem & præcipuam meam Existimationem, toti vero Congregationi vestræ tenerum meum comprobandi amorem & benevolentiam.

Lætus igitur solennem consecrationis actum adgrediar, ac in templo recens consecrato primus incruentum Deo omnipotenti offeram sacrificium, enixis illum ardentissimisque efflagitaturus precibus, ut suprema Ecclesiæ & Imperii capita quam diutissime salva conservet, illorum pia, prudentissima, saluberrimaque molimina secundet, forti suo brachio sustentet, & in amplissimum catholicæ Religionis æque, ac Imperii & Augustissimæ Domus provehat incrementum.

Deum, inquam, rogabo, ut non solum Dilectionem suam, Dominum Principem & Abbatem prudentissimum ac vigilantissimum, sed & concreditum sibi principale ac imperiale monasterium, Protectione sua custodire, ab adversis quibusque defendere, & affluente benedictionis suæ rore, pro Fidei orthodoxæ & Rei literariæ emolumento, in longævum usque tempus fovere ac tueri velit.

Det itaque Deus, ut templum istud, tanta Magnificentia extructum, confluenti undique populo in ædificationem cedat, ejusque devotionem, ac divini cultus fervorem excitet, & augeat, ac ut quisquis demum Ecclesiam hanc quidquam petiturus ingreditur, cuncta se a DEO

OPTIMO MAXIMO, bonorum omnium largitore,  
impetrasse lætetur.

